

res excipit, et in arcto æquali lectulo collocat nullo habito respectu inter divitem et pauperem, nobilem et ignobilem. Unde S. Ambrosius, l. de Nabaoth, c. I. ait: *Cespes angustus æque pauperi abundat et diviti.* Alphonsus quoque Aragonum rex interrogatus: *Quænam res principes ac privatos, divites ac pauperes æquaret?* Cinis respondit, Panorm. l. IV. de gestis ejus. Deinde suis quidem advenis nihil ad comedendum aut bibendum apponit, sed ipse potius devorat et depascit eos, juxta id Psal. XLVIII. *Sicut oves in inferno (sepulcro) positi sunt, mors depascet eos, per servos scilicet suos, vermes; quinimo etiam vestibus expoliat.* Quare de hoc diversorio dici posset illud Num. XIII. *Terra hac devorat habitatores suos.* Sed neque munda aut jucunda est illa habitatio, quia putredine, sordibus et vermibus leatet. Unde stabulum potius pecorum, quam hominum diversorium dicendum est; quo nomine etiam appellatur pandocheum illud, in quod Samaritanus induxit sauciatum a latronibus, Luc. X. Jam vero quærat aliquis, cur hospes hic tam durus, tam male excipiat advenas ad se divertentes, et cur pro brevi somno proque mensa tam sterili, tam crudele exigat lytrum? Respondit iis primo, quod parentes nostri primi contraxerint hoc debitum, tam grave, tamque enorme, ut etiam in posteros eorum sese extendat. Itaque *Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, Ezech. XVIII.* Deinde quia et ipsi peccarant omnes, parentes suos secuti; unde cum non habeant, mors vestes eis detrahit. Unde XLVIII. dicitur: *Sicut oves in inferno (h. e. sepulcro) positi sunt, mors depascet eos.* Oves stulta animalia sunt et facillime errant: una desiliens in flumen, sequuntur eam omnes et merguntur. Ita fere homines secuti sunt parentes primos. Denique quia cum mortali corpore non licet ingredi ad vitam immortalam, ideo fragilis ita carnis nostre vestis ad ostium alterius sæculi exuenda est. Si enim ad aulam regis Assueri nemo sacco indutus poterat intrare, Esth. IV. nisi prius eum deposuisset: multo minus ad regnum celorum patet ingressus homini mortali carne vestito; Hinc Psal. XXIX. cum objecisset psalmista Deo: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Audivit Dominus et misertus est mei: quid igitur respondet? Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conceidisti sacco meum, et circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea.* In mola papyraria nequit fieri charta munda ex detritis lacernis nisi prius confundantur et macerentur. Idem fit cum homini-

bus. Quare cœmeterium hujusmodi mola papyraria est, in qua emortua corpora, velut abjecti centones macerantur, ut in speciosa et beatifica visione postmodum reformentur.

V. Est quasi publica et communis curia, in qua litigantes partes inter se conveniunt et conciliantur; ubi mors velut judex omnium jungit dexteram et tollit inimicitias. Discere hoc ex eodem versu citati Psal. XLVIII. possumus, ubi dicitur: *Sicut oves in inferno (sepulcro) positi sunt.* Mors uti S. Augustinus legit, *pastor est eis*: (vel, ut Symmachus legit: *Mors regit eos.*) Qui ergo in vita sua convenire non potuerunt, in sepulcro conveniunt, et jacent ibi pacatissime, velut oves in uno clausæ ovili. Eo spectat, quod Seneca, l. III. de ira, c. XLII. ait: *Quid servo, quid domino, quid regi, quid clienti tuo irascaris? Sustine paulum: Venit ecce mors, quæ nos pares faciet.* Ita ferunt fabulæ lupum dixisse agno: *Tum demum conciliabimur, quando in convivio pellionis ambo venerimus.* Quidam per omnem vitam foveant inter se odia, nec ullis artibus componi ad pacem possunt. Itaque *veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes,* ait psalmista, Psal. LIV. *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum.* Ubi alludit ad Dathan et Abiron, qui cum seditionem excitassent contra Moysen, vivi una cum tabernaculis suis absorpti sunt a terra, Num. XVI. Contenderunt circa annum 1300. de imperio Rom. duo principes, Albertus Austriacus, et Adolphus Nassoviensis, et in conflictu congressi sunt strictis gladiis, peritque manu Alberti Adolphus, sepultusque est Basileæ. Postmodum ubi Albertus creatus imperator fati concessit, in idem Adolphi sepulcrum et ipse depositus est, ut scribit Gerardus de Roo, in chronologia Austriaca, l. II. Ibi usque hodie summa in pace conquiescunt qui, dum viverent, ad pacem componi non potuerunt.

VI. Denique est quasi commune asyllum, in quod se recipiunt et abscondunt ab extrema illa calamitate, quæ ad finem mundi opprimet viventes, ut testatur etiam post prophetas Christus, quando, ut ait S. Joannes Apoc. VI. *Abscendent se in speluncis et petris. Cadite super nos.* Et ut Isaias, c. II. scribit: *Introibunt in speluncas petrarum et in voragine terræ a facie formidinis terræ.* Sane pro eximio Dei beneficio computandum est, quod ante ultimam illam calamitatem subtrahimur e mundo, et abscondimur in sepulcris, præsertim si consideremus tyrannidem antichristi, qui per exquisitissima tormenta piis cruciabit, ut a Dei obsequio abducatur, et ad suum perducat. Quotusquisque enim ea tormenta sustinere poterit? Hinc compellentur fu-

gere et abdere se in spelunca ferarum, mortis ipsius periculo mortem redimentes, et mortem sibi optantes. At verò defuncti jam et sepulti, ab his timoribus liberi erunt. Unde bene Job c. XI. ait Sophar: *Defossus securus dormies.* Quæ cum ita sint, non est cur adeo tristetur de morte amici nostri. Ivit enim via universæ carnis, qua et nos pergemus brevi. Dicamus cum Davide: *Numquid potero eum revocare amplius? Ergo vadam magis ad eum; ille vero non revertetur ad me,* II. Reg. XII. Audiamus et Chrysostomum, hom. LXIX. ad pop. *A multis ille calamitatibus liberatus est, noli ergo ipsi invidere, aut æmulari.* Ne consideres illud, quod non amplius domum revertetur, sed quod paulo post et ipse ad eum revertetur. Si defunctum diligeres, gaudere oporteret atque lætari, quod ex præsentibus procillis esset absolutus, etc.

CONCIO VII.

SEPOLCRA MONUMENTA, QUIA MONENT MENTEM.

THEMA.

Hic est titulus monumenti Rachel. Gen. III.

Bene monet orator Ecclesiasticus, c. XIV. *Memento esto quoniam mors non tardat,* hæc enim velut tempestas ingruit nobis incautis qui in hoc mundo dum vivimus, tamquam in quodam mari inter media navigamus pericula et anfractus. Sed eheu! quo major miseria nobis sub vitæ finem imminet, eo majore incuria nos ad tantum discrimen subeundum præparamus. Hinc opportune nobis memoriam mortis inducit regius vates, ne tam facile et temere ejus obliviscamur, et maxime de mortalibus conqueritur, Ps. LXXII. *Non est respectus mortis eorum,* vertit Hier. *Non cogitat de morte eorum,* idque merito lamentatur, quia bene novit, si sæpe ante oculos nostros mors observetur fore ut facile omnia contemnemus quod egregie emedullat D. Hier. in ep. ad Cypr. « Nihil enim ita decipit humanum genus, quam dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt. Unde et illud egregie dictum est, nullum tam senem esse, et sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur. Ad illum sensum pertinet et illud, quod dicitur: Memorare mortis tuæ et non peccabis. Qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit præsentia et ad futura festinat. » Paria inculcat Aurelius Aug. in Ps. LXX. « Dicunt impij, comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Quid ais? inquit.

Repete: Manducemus, inquit, et bibamus. Agas quid postea dixisti: Cras enim moriemur, tenuisti, non seduxisti, plane hoc ipso, quod postea dixisti, et præcessit comedamus et bibamus, cum enim dixisses manducemus et bibamus adjunxisti, cras enim moriemur. Audi contra me: Imo jejunemus et oremus: cras enim moriemur. » Hæc M. August. Hanc mortis oblivionem satis videre est in Adamo ipso; hic enim licet post peccatum mortis jam legibus audire subjectus: Gen. III. *Pulvis es, et in pulverem reverteris,* mirum est, quam cito hanc ex animo seposuit memoriam quam vix auribus percepit memoriam. Nam mox Adam *vocavit nomen uxoris suæ Hevam.* Septuaginta legunt: *Nomen uxoris suæ vita, eo quod mater esset cunctorum viventium.* Tam cito mortis oblitus, vitæ facit mentionem, vitæ nomine vocans eam, quæ mortis occasio fuerit suggerendo peccatum, quo jure miratur D. Aug. II. de ben. cont. Manich. c. XXI. cum jure debuisset eam appellare *matrem cunctorum morientium,* cur vocarit *matrem viventium?* Nempe hoc mortis oblitio fecit, quæ penitus nostris memoriis imprimatur, diversæ nationes varias methodos excogitarunt. Nam ritus pervertustus est erigendi titulos et epitaphia in memoriam defunctorum juxta eorum sepulcra. Ita enim Simon Macchab. magnificum excitat mausolæum super sepulcrum patris et fratrum, I. Macch. XIII. David quoque extractam fuisse monumentum honorificum colligitur ex testimonio S. Petri, Act. II. et scribit S. Hieronymus, in ep. ad Marcellam, ad illud se adornare solitum. Denique, ante hos dudum erexit Jacob patriarcha titulum ad sepulcrum conjugis suæ Rachel, cum hac inscriptione: *Hic est titulus monumenti Rachel,* Gen. XXXV. Titulus hoc loco lapidem aut columnam seu pyramidem significat. Descriptor terræ sanctæ Borehardus, tradit fuisse pyramidem perelegantem, in cujus basi dispositi erant duodecim lapides prægrandes juxta numerum duodecim filiorum Israel. In quo id maxime observandum, quod sepulcrum illud appellare voluit Jacob monumentum. Causam affert S. August. in l. de cura pro mortuis, c. III. his verbis: « Non ob aliud vel memoriæ vel monumenta dicuntur eaque insignita fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur in memoriam revocant et admonendo faciunt cogitari. » Cæterum non hæc sola, sed plures aliæ rationes occurrunt, et plura documenta, quorum nos monumenta monent, quæ hic afferemus.

I. Monent mentem, ut cogitemus quidnam

simus, ne supra id, quod sumus, nos ipsos effe-
ramus. E sepulcro enim clamant ad nos mortui
illud Ecclesiast. X. *Quid superbit terra et cinis?*
Eccur enim Deus primum nostrum parentem a
terra seu adama Adamum appellari voluit, nisi
ut meminisset ædulo, unde et quis esset? Zeno
Liticus cum quemdam conspicatus esset imbricem
lente et circumspicte transire qui circa
formæ curam studiosior erat, quam deceret,
dixit: *Merito suspectum habes lutum in quo non
potes teipsum, ut in speculo cernere,* apud Laert.
l. VII. c. I. Quod si lutum et e luto formatus im-
brex non satis tersum speculum est ad nos
ipsos intuendos, inspiciamus sepulcrum, in quo
velut in speculo lucidissimo nos ipsos contem-
plari, et vilitatem nostram intueri possumus,
moxque alas nostras demittere ad instar pavonis,
qui postquam expendit superbe flabellum suum,
conspicatus pedes suos, cineris colorem referentes,
illico demittit cum clamore. Fuit hujusmodi pavo
Antiochus ille impius, qui ubi se mortis filium
serius agnovit, et jam vermes e corpore ejus
scaturiebant, tum demum dixit: *Justum esse sub-
ditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire,*
qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitra-
batur, II. Macch. IX. Mire in hoc cautus pro-
vidusque fuit Philipp. Macedonia rex, qui cum
Athenienses in Chæronæa terra fudisset, me-
tuens ne rebus præclare gestis nimium efferretur,
humanæque conditionis oblivisceretur, puerum
delegit, qui singulis diebus antequam sui co-
piam alicui faceret, mortalitatis memoriam ipsi
inculcaret, ter inclamans: *Philippe homo es.* Do-
cumento vel homine christiano dignissimo, quod
idem Pausaniæ superbienti dedit Simonides, ne
se hominem adeoque moriturum oblivisceretur
Bene S. Augustinus, in sententiis, sentent. ult.
*Divitiis, inquit, flores, majorum nobilitate te jactas,
et exultas de patria ac pulchritudine corporis et
honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, respice
teipsum quia mortalis es, et quia terra es et in ter-
ram ibis.*

II. Monent mentem nos brevi id futuros, quod
jam sunt sepulti, adeoque nobis ingerunt, eam
vocem Eccl. XXXVIII. *Memor esto judicii mei; sic
enim erit et tuum; mihi heri et tibi hodie.* Quod
exponens Rabanus Maurus archiep. Mogunt. *Ju-
dicium suum, inquit, dicit obitum de hoc mundo,
quod unicuique proprium est tam præteritis, quam
etiam præsentibus, quia nullus est homo super ter-
ram, qui vivat et non videat mortem.* Et bene dici-
tur: *Mihi heri et tibi hodie; ac si diceret: Quod
in me jam completum est in te modo instat
implendum. Hæc enim admonitio bonorum pa-
trum est, ut filios suos admoneat, quatenus dis-*

cant in casibus patrum suorum suum quoque
in præsentis sæculo diuturnum non esse statum,
etc. Hinc nonnulli religiosi, ut jugem sibi invi-
cem memoriam mortis insinuarent, ita se mutuo
salutabant, ut prior diceret: *Moriendum nobis est,*
respondit alter: *Nescimus quando, uti refert P.
Cornelius, in eccl. XXXVIII. Fere in hunc mo-
dum se mutuo admonebant sepulcri et mortis
suæ, Carolus V. imper. et Franciscus I. Francor.
rex. Cum enim hic in bello Papiensi captus et Madriti
captivus a Carolo detineretur, videretque in pa-
riete scriptum: Plus ultra, subscripsit: Hodie
mihi, cras tibi.* Advertit eo scripto peti se Carolus,
et subscripsit: *Fateor me hominem, seu ut alii
referunt homo sum, humani nihil a me alienum
puto.* Refert P. Delrio in Adagialibus. Quod si
mors nec regibus parcat, quis se immunem ab
ea credat fore? In statua illa Danielis, c. II. con-
flata ex auro, argento, ære, ferro, luto adum-
brati fuerunt varii hominum status. Cæterum
ubi eam lapillus e monte incidisset, contrita sunt
pariter, ferrum, testa, æs, argentum et aurum, et re-
ducta quasi in favillam. Pariter, inquit, omnia contrita
sunt. Quod in hac statua Nabuchodonosori regi,
idem postea ejus filio ostensum esse a Daniele,
quando in cinere super pavementum templi
strato deprehendit Daniel vestigia virorum et
mulierum et infantium, qui noctu clanculum per
cuniculos templum ingressi devorarunt Beli mis-
sos idolo appositos, Daniel. ult. Similibus enim
fallaciis multi decipiuntur, uti rex ille deceptus
fuit, existimantes se a morte exemptus, vel sal-
tem procul remotos esse, velut quia juvenes,
sani, robusti, potentes sunt. Verum veniant, in-
grediantur cæmeterium, aspiciant sepulcra, et
videbunt hoc esse viri, hoc mulieris; hoc unius
juvenis, illud puellæ hoc infantis; hoc consulis,
hoc rustici, hoc divitis potentis, hoc mendici.

III. Monent mentem nos in sepulcris omnes
adæquari, et in similem desinere cinerem; adeo-
que nobis insinuant id Thecuitis verbum sapiens,
II. Regum XIV. *Omnes morimur et quasi aquæ dila-
dimur in terram.* Varii ubique rivi et fluvii con-
fluunt in flumen, sed in ipso flumine omnes
uniuntur et pares fiunt, nec unius rivi aqua dis-
cernitur jam ab altera: denique in mari etiam
flumina sic coeunt. Idem fit in sepulcris, eam-
dem ob causam tribuitur morti falx, Apoc. XIV.
qua mortales omnes demetit, et demessos æquat
et in fœnum aridum convertit: qui prius cum
viverent, velut flores diversos præ se ferebant,
colores, odores et virtutes. Refert Laert. visum
Diogenem aliquando ab Alexandro M. in ossario
quodam ossa versantem, et interrogatum, quid
illuc ageret, respondisse: *Quæro, rex, quod non*

invenio: quærebam enim differentiam inter divites
et pauperes, inter magnates et infimæ sortis homines,
et tamen nullam invenio. Omnium quippe cineres in-
differentes. Vere ac sapienter; cui consonant,
quod Apollonius rhyanaeus ad Nervam inquit,
qui ejus præsentiam et alloquium desiderabat,
rescripsit: *Nos quidem, o rex, diu simul erimus: sed
neque nos aliis, neque nobis alii imperabunt.* Signifi-
cans utrumque brevi moriturum. (uti et factum)
ubi pares sint futuri, Philost. l. VIII. de vita Apol-
lonii. Vita hæc latruncolorum ludo similis est,
in quo rex primo loco, deinde regina, tum mili-
tes, postremo loco statuuntur rustici: et habent
digniores singuli pro gradu suo sua privilegia et
prærogativas. Verum cum ludus finiit, omnes de
tabula rapiuntur, et in unum conjiciuntur saccu-
lum, nullo ordine, aut respectu: sicque omnes
æquales fiunt. Ita plane in mundo magna inter
vivos ordinum ac dignitatum est diversitas:
alii supra, alii intra positi sunt: at vero cum
mors ludo finem indicit, omnes e vita abreptos
in sepulcrum nullo discrimine projicit, atque
in parem cinerem omnes resolvit. Bene ergo
S. Chrys. in hom. ex variis V. « Egre diamur,
inquit, ad sepulcra, obsecro videamus ibi mys-
teria, videamus dilapsam naturam, ossa cariota,
corpora putrefacta. Considera ibi, quis sapiens
et quis prudens? Dic mihi, quis illic rex et quis
privatus? Quis generosus et quis servus? Quis
sapiens et quis insipiens? Ubi pulchritudo illic
adolescentiæ? Ubi gratiosus aspectus? Ubi oculi
speciosi? Ubi fragrantia labia? Ubi pulchritudo
præses? Ubi frons radians? Annon omnia cinis,
pulvis, favilla, vermis, putredo et fœtor? »

IV. Monent mentem, quorsum eant eantque
omnes nostri labores et sudores propter lucra
temporalia exantlati, una cum lucris illis; ad se-
pulcrum videlicet, ubi omnia clauduntur, et in
vermium escam objiciuntur. Insinuatum est hoc
Levitic. I. cum a Deo mandatum, ut cum volu-
eres immolande essent, nudarentur plumis, quæ
una cum vesicula gutturis in locum projiceren-
tur, ubi cineres effundi solebant. Quid curæ, la-
bores et sudores hominum nisi plumæ, pennæ
quædam, quibus in altum se librare et sublimes
evadere conantur, ut fiant divites, sublimes, po-
tentes, felices? At his omnibus deplumatur: ho-
minem mors, et pennas illas quorsum projicit?
In sepulcrum una cum opibus, honoribus, digni-
tatibus, favoribus et deliciis comparatis: una
cum vesicula gutturis, cum ingluvie inquam et
cupiditate bonorum fluxurum. Audiamus D. Greg.
hom. XXXVII. in evang. « Omne, inquit, quod
secundum præsens sæculum laboramus, vix us-
que ad mortem sufficit, mors namque interve-

niens fructum nostri laboris abscondit. Quod
vere pro vita agitur, etiam post mortem serva-
tur; et nunc apparere incipit, cum laborum car-
nalianum fructus cœperit non videri. » Multo la-
bore et defatigatione quærebat Saul ultro citroque
asinas suas, nec invenit, nisi postquam ei præ-
dixit: *Cum abieris hodie a me, invenies duos viros
juxta sepulcrum Rachel, dicentque tibi: Inventæ sunt
asinae, ad quas ieras perquirendas,* I. Reg. X. Hunc
in modum homines plerique undique circumeunt
et omnia rimantur, quo tandem inveniant opes,
honores, delicias, uxores, liberos, domos, hor-
tos, agros, vineas, supellectilem argenteam, etc.
nec tamen ea se invenisse putant. Ubi ergo dice-
tur illis, et ubi intelligent inventa esse? *Juxta se-
pulcrum et monumentum Rachel.* Omnia enim illic
in sepulcro reponuntur; ubi videbunt asinas suas,
stulta et stolidi sua studia. Ibi dicent: « Lassati
sumus in via iniquitatis, et perditionis, et ambu-
lavimus vias difficiles. Quid nobis profuit super-
bia, aut divitiarum jactantia quid contulit no-
bis? Transierunt omnia illa tamquam umbra. »
Similiter scribit S. August. serm. LXVI. « O homo
vide sepulcra mortuorum et dic tibi tu ipse:
Ecce nunc ex illo misero, qui hic depositus fuit,
nil aliud nisi ossa et pulvis evenit. Et vere homo
si ipsa arida audire volueris, tibi prædicare po-
terunt et dicere: O miser quantum pro cupidi-
tate hujus sæculi discurrens? Attende ad me et in-
tellige, considera, ne et vel sic tibi horreat
luxuria tua vel avaritia tua. Hoc quod tu es ego
fui, et quod ego sum modo, tu eris postea. »

V. Monent mentem et vel maxime ut defunc-
torum memores, eis succurramus piis operibus:
ne non ut præclara eorum facta in memoriam
reducamus et imitemur. Testem habemus S. Thom.
Aquin. in addit. q. VII. art. XI. ubi ait sepulcra
appellari monumenta, quia monent mentem nos-
tram ut pro defunctis oremus. Sicut enim ipsa pau-
peris visio, quamvis pauper taceat, eleemosynam
a nobis poscit, sic mortuus tacens suffragia a
nobis petit. Plutarch. l. de fun. scribit veteres
amicorum sepulcris cordis figuram insculpere
solitos; ut hoc symbolo indicarent, se nequa-
quam deposuisse illorum memoriam. Verum
parum aut nihil hæc memoria defuncti prodest,
nisi addantur pia suffragia pro iisdem ad Deum
emissa, sicut et illa antiquorum sepulcralia in-
scriptio, quatuor harum litterarum, S. T. T. L. h.
e. *Sit tibi terra levis:* quasi anima seu umbra
terræ onere pressa nequiret alias volare ad des-
tinatum sibi locum, nisi his litteris incantata;
quod ridet Tertullian. de test. anim. c. IV. et Se-
neca, ep. LVIII. « Nos christiano sensu sepultis
hoc precari possumus, ne graventur onere pœ-

narum quibus forsan in altero sæculo adhuc subjacent, ut iis expediti, absolutique ad cælum evolare queant. » Ita monet S. Chrysost. hom. LXX. ad pop. « Habet hæc res (preces scilicet et elemosynæ pro defunctis factæ) aliquatam consolationem. Audi namque Deum dicentem : Protegam civitatem istam propter me et propter David servum meum. Si justi dumtaxat memoria tantum potuit, cum et opera pro ipso fuerint quantum non valebit; non temere ab apostolis hæc sancita fuerunt (audiant hoc acatholici) ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, et tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? » Neque hoc solum, sed propterea admonent nos suorum bene gestororum, ut eadem imitemur, et sectanda aliis proponamus. Si enim sola Alexandri M. statua, apud Herculis templum a Julio Cæsare tantum potuit, ut lacrymas Cæsari excusserit, quod nihil a se memorabile actum esset in ætate, qua jam Alexand. orbem terrarum subegisset, uti scribit Sueton. in Cæsare : quomodo non et sepulera præclarorum virorum admonent nos, ut ipsorum facta imitemur, aut saltem deprædicemus, et confundamur, si nihil eorum in tam florente et diuturna vita designavimus? Talia vero non spernenda reliquit post se defunctus noster, etc.

CONCIO VIII.

MAUSOLEUM MACCHABÆORUM EXPONITUR.

THEMA.

Hoc est sepulcrum, quod fecit Simon in Modin usque in hunc diem. I. Macch. XII.

Innatum esse hominibus æternæ vitæ desiderium et appetitum a Deo ipsius inditum, declarant inter alia, mortuorum etiam sepulera, quæ ditiores et potentiores fere adornare consueverunt seu erectis statuis, seu pictis imaginibus, sive etiam splendidis et sumptuosis mausolæis. Ex hoc naturali affectu testatur immortalam animam Tertullian. l. de test. anim. c. IV. scribens. « Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet ut liberaturæ operibus vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet? Halat animam immortalitatem suam, dum bonum nomen, quod habere potest, etiam post mortem et ruinam

aliorum honorum, sepulcrorum flexuris curat æternare. » Inter hujusmodi memorias seu mausolæa, celebre est illud, quod erexit Simon Macchabæus patri et matri necnon sibi, et quatuor defunctis fratribus suis, I. Macchab. XIII. ubi dicitur : *Ædificavit Simon super sepulcrum patris sui et fratrum suorum ædificium altum visu lapide polito, retro et ante. Et statuit septem pyramides, unam contra unam patri et matri et quatuor fratribus. Et his circumposuit columnas magnas, et super columnas arma ad memoriam eorum, et juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* Nimirum honeste quæritur recte factorum memoria et laus perpetua, quæ et defunctos ornet, et viventes ad similia facinora perpetranda excitet. Unde sepulcrum illud Dionysius Carthusianus honestat in hunc modum : « Ad memoriam æternam strenuissimorum operum bellicorum Mathathiæ filiorumque ejus, imo in recordationem auxiliorum divinatorum ac triumphorum ipsis desuper concessorum atque ad intuitum ædificationem, ut considerarent qualiter sit pugnandum pro defensione legis divinæ et pro conservatione justitiæ ac pro bono communi. » Quid vero prædicta symbola huic sepulcro circumposita sibi velint nunc investigare conabimur.

I. Erexit pyramides, liberali quidem sensu ad indicandum eorum zelum, quo ardebant ad tuendas sanctas leges. Pyramides enim dicuntur a Græco *pyr*, h. e. *ignis*, quia ut notat D. Thom. in I. Macch. c. XIII. et S. Isidor. l. XV. etym. figuram præferunt flammæ igneæ in acumen desinentis et alta petentis. Tales autem flammæ erant Mathathias et filii ejus zelo Dei accensi. Ita enim de patre dicitur I. Macch. II. *Vidit Mathathias Judæum in oculis omnium sacrificare idolis, etc. et accensus est furor ejus secundum judicium legis et insiliens trucidavit eum, etc. et zelatus est legem sicut fecit Phinees.* Eundem quoque zelum jam moriturus ineuleavit indiditque filiis suis dicens : *Nunc ergo filii æmulatores estote legis.* Quod et fecerunt perquam strenue. Deinde, quia in suis actis non nisi Dei gloriam quærebant, adeoque velut flammæ cælum petebant, recte pyramidibus assimilati sunt. Sensu vero mystico notant hæc pyramides mortalitatem nostram. Vita enim nostra, quasi facula quædam ardens est, quæ perpetuo depascit calore nativo humerum radicale, adeoque corpus nostrum quod indicat flatus, quasi fumus perpetuo exhalans; de quo Sap. II. dicitur : *Fumus flatus est in naribus nostris et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum quæ extincta cinis erit cor nostrum.* Quis hic sermo scintillæ nisi pulsus cordis nostri et perpetua

commotio per systolen et diastolen; quia pulsus campanæ incendiariæ, admonens nos periculi, ut succurramus huic incendio et igni, qui continuo nos depascit? Quare sicut domus cum ardet, jam perire et quasi mori incipit, ita et homo dum vivit, jam mori cœpit. Quæ causa est, cur Simon inter fratrum pyramides, sibi quoque unam erexerit, quasi jam se inter mortuos numerasset, qui mori jam cœpisset. Et quemadmodum ignis omni conatu sursum ad suum centrum tendit, ideoque semper inquietus est, quasi violenter in terra detineatur, ita spiritus noster in corpore detentus nunquam quiescit, sed ad cælum semper aspirat, juxta id vulgatum S. August. dictum : *Domine fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Sicut enim ignis pyramidalis figura cælum petit, quasi instar sagittæ aerem findere velit, ut mox ad centrum suum evolet, ita spiritus noster cælum penetrare desiderat. Denique uti fax extincta aut bonum odorem post relinquit, si de cera est, aut tetrum, si de sebo aut pice, ita justus aut pii suavem post se relinquunt famæ odorem ac memoriam sui : impii vero foetidum; juxta id Proverb. X. *Memoria justis cum laudibus, et nomen impiorum putrescet.*

II. Pyramidibus circumposuit columnas magnas, quæ ad litteram representabant immortale nomen eorum Macchabæorum, qui Judaismum ab Antiocho rege dire vexatum atque afflictum ac jamjam lapsabundum sustentarunt. Cum enim laboraret Antiochus, ut Judæos a patrum legibus abstraheret, et ad gentilium ritum adduceret, jamque multi Hebræi manus dedissent, alii in fide nutarent, intervenit Mathathias et cum filiis suis separavit se ab impiis, convocatisque aliis constantibus vexillum contra Antiochum erexit, et patrium institutum defendit. Hinc immortale sibi nomen pepererunt, quando ut columnæ firmissimæ in veri Dei cultu perstiterunt, et alios jam lapsuros in eodem conservarunt. Hoc sensu tres illi apostoli, Jacobus, Petrus et Joannes videbantur *Jerosolymis esse columnæ*, ut ait S. Paulus ad Gal. II. *quia sustentabant Ecclesiam.* Ita Onias quoque dicitur Eccl. L. *suffulsisse domum*, templum videlicet. Qui ergo vitam sancte et pie transegerunt, necnon pro Ecclesia Dei strenuo laborarunt, quemadmodum Macchabæi illi, hujusmodi columnæ jure appellantur quia *nomen eorum stabit et vivet in generationem et generationem*, ut dicitur Eccl. XLIV. Hinc de sapientia, quæ est vita justorum, dicitur Prov. III. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus, qui sicut lignum vitæ immortales reddere homines poterat : ita*

II. PARS HIEMALIS.

virtus quoque gloriam homini non intermoriaturam conciliat. Tametsi enim secundum carnem moriuntur, vivunt tamen in suavissima sui memoria apud homines et superos. Unde recte etiam comparantur floribus amaranto, sic dicto, quod non tabescit, ideoque immortalis appellato; de quo antiqui referunt hunc apologum : *Amaranthus in eadem areola satus cum rosa, ita rosam alloquebatur : « O Rosa florum regina, veris honor, hortorum decus, quam decora es! Quam hominibus amabilis et admirabilis! Commendaris merito ob speciem, ob colorem, ob odorem, propter gratiam et fructum, quem adfers mortalibus. » Cui mox rosa : « Vera sunt quidem, quæ disseris, Amaranthe, forma placeo, coma rideo, odore præcello et cætera omnia eximia sunt in me; sed quamdiu vigent ista? Quamdiu rutilant et florent? Etiamsi unguis me non carpat, nihilominus tabesco : tu vero juxta nomen tuum immarcescibilis es, semper splendes, flores et vivis. » Vita impii Antiochi quasi rosa fuit, dum in sæculo floruit, ac paulo post contabuit et in putredinem desiit. Unde de ipso dixit filiiis suis Mathathias : *A verbis viri peccatoris ne timeveritis, quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam et cogitatio ejus perit. Vos ergo filii confortamini et viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis.* I. Macch. II. q. d. immortales in hominum memoria. Hanc immortalitatem in viris justis agnovit etiam Cicero, cum pro Milone scripsit : « Ex omnibus præmiis virtutis amplissimum est præmium gloriæ, quæ vitæ brevitate posteritatis memoria consolatur, quæ efficit ut absentes adsimus, et mortui vivamus, cujus gradibus etiam homines in cælum videntur ascendere, » imo secundum fidem christianam vere ascendunt.*

III. Super columnas arma suspendit ad memoriam sempiternam, uti ibi dicitur. Arma hæc denotabant viros bellicosos et militiæ assuetos fuisse, et pro Deo militasse. Solent etiamnum ad sepulera militum affigi vexilla, et in templis clypei et arma, quibus usi fuere; in exemplum posterorum, ut norint eos pro patria aut Dei cultu vitam exposuisse; necnon ad patres animos capessendos alimuntur. Mystico sensu hoc notabat Dei servis *inilitandum esse in hoc sæculo, quamdiu vivunt, ac siquidem strenue pugnarunt, arma eorum reservari et custodiri ad perpetuam eorum gloriam.* Teste enim S. Job, *militia est vita hominis super terram, c. VII.* Arma sunt membra nostra, quæ si ad obsequium Dei et virtutum certamina applicuerimus, suam in resurrectione gloriam expectant;